

DOCUMENTATION

Acta Congregationis

ORDO PROFESSIONIS RELIGIOSAE

Prot. n. 200/70

DECRETUM

Professionis ritus, quo religiosi, consilia evangelica amplectentes. Deo se devovent, instauratus est ad mentem Constitutionis de sacra liturgia. Vita Deo sacrata religionis vinculis, magno in honore semper fuit apud Ecclesiam, quae professionem usque a primis saeculis sacris ritibus exornavit. Concilii Vaticani II Patres in Constitutione de sacra liturgia praeceperunt ut confideretur ritus professionis religiosae et renovationis votorum, qui ad maiorem unitatem, sobrietatem dignitatemque conferret et ab iis qui professionem vel votorum renovationem intra Missam peragerent, salvo iure particulari, assumeretur (art. 80).

Cui praecepto obsecutum, Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra liturgia hunc Ordinem professionis religiosae apparavit, quem Summus Pontifex Paulus VI Auctoritate Sua Apostolica approbavit, Rituali Romano inseruit evulgarique iussit. Quapropter haec Sacra Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis illum promulgat.

Conferentiae Episcopales, si casus fert Commissiones Mixtas plurium Nationum eiusdem linguae, collatis consiliis cum Coetibus Superiorum, qui in singulis Nationibus religiosorum incepta ordinant atque componunt, current ut huius ritus interpretationes populares diligenter fiant.

Instituta religiosa autem, cum professionis ritus uniuscuiusque familiae religiosae naturam atque spiritum exprimere debeat, hunc Ordinem ita aptent ut indolem suam perspicue ostendat et ad hanc Sacram Congregationem confirmandum quam primum mittant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 2 februarii 1970, in festo Praesentationis Domini.

Benno Card. Gut
Praefectus

A Bugnini
a secretis

INSULAE PHILIPPINAE

DECRETA GENERALIA

Die 4 febr. 1970 (Prot. n. 317/70): confirmatur interpretatio *ilocano* Precum eucharisticarum II, III et IV.

Die 4 febr. 1970 (Prot. n. 319/70): confirmatur *ad interim* interpretatio *ilocano* Ordinis Baptismi parvulorum.

Confirmatio datur *ad interim* quia textus Ordinis Baptismi lingua vernacula exaratus, iuxta normas Constitutionis de Sacra Liturgia art. 63, par 2, continere debet etiam Praenotanda, quae inveniuntur in editione typica latina.

Die 26 februarii 1970 (Prot. n. 811/70): confirmatur interpretatio *anglica* Ordinis celebrandi Matrimonium, interpretatio *samareno* Ordinis Baptismi parvulorum, et interpretatio *anglica* Ordinis Baptismi parvulorum a Commissione mixta pro regionibus linguae *anglicae* parata.